

135

LIBER SEXTVS

De Vitijs singularum corporis partium. CAP. I.

De capillis fluentibus.



DIXI de his vitijs, quæ per totum corpus orientia, medicamentorum auxilia desiderant. Nunc ad ea veniam, quæ non nisi in singulis partibus incidere consueverunt, orsus à capite. In hoc igitur capillis fluentibus

maxime quidem sæpe radendo succurritur. Adijcit enim vim quandam ad continendum, ladanum cum oleo mistum. Nunc de his capillis loquor, qui post morbum ferè fluunt. Nam quò minus caput quibusdam ætate nudetur, succurri nullo modo potest.

De Porrigine, & eius curatione. CAP. II.

Porrigo autem est, ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, exq; acutæ resoluuntur, & interdum madent, multo sæpius siccæ sunt. Idq; euénit modò sine vlcere, modò exulcerato loco: huic quoq; modò malo odore, modò nullo accidente, fereq; id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio. Ac neque sine aliquo corporis vitio nascitur, neque ex toto inutile est. Nam bene integro capite, non exit. Vbi aliquod in eo vitium est, non incommodum est, summam cutem potius subinde corrumpi, quàm id quod nocet, in aliam partem magis necessariam verti. Commodius est ergo subinde pectendo repurgare, quàm id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium offen-

dit, quod humore sequente fieri potest, magisq; si id etiam mali odoris est, caput saepe radendum est, dein id supèr adiuuandum aliquibus ex leuiter reprimentibus, quale est nitrum cum aceto, vel ladanum cum myrteo vino, vel myrobalanum cum vino. Si parum per hæc proficitur, vehementioribus vti licet, cum eo, vt sciamus vtiq; in recenti vitio id inutile esse.

De Sycofi, & eius curatione. CAP. III.

Est etiam vlcus, quod à fici similitudine *συκοεις* à Græcis nominatur. Caro excrescit, & id quidem generale est. Sub eo verò duæ species sunt. Alterum vlcus durum, & rotundum est, alterum humidum, & inæquale. Ex duro exiguum quiddam, & glutinosum exit: ex humido plus: & mali odoris. Fit verò vtrunq; in his partibus, quæ pilis conteguntur. Sed id quidem quod callosum, & rotundum est, maximè in barba. Id verò quod humidum, præcipuè est in capillo. Super vtrunque oportet imponere elaterium, aut lini semen contritum, & aqua coactum, aut ficum in aqua decoctâ, aut emplastrum tetrapharmacum ex aceto subactû, terra quoq; cretria ex aceto liquata rectè illinitur.

De Areis, & earum curationibus. CAP. II II.

Arearum quoq; duo genera sunt. Commune vtriq; est, quod emortua summa pellicula pili primum extenuantur, deinde excidunt: ac si istus is locus est, sanguis exit liquidus, & mali odoris, increfcitq; vtrunq; in alijs celeriter, in alijs tarde. Peius est, quod densam cutem, & subpinguem, & ex toto glabram fecit: sed ea quæ *αλοπρωια* nominatur, sub qualibet figura dilatatur, fit & in capillo, & in barba. Id verò quod à serpentis simili-

rudineſe *phlegmatis* adpellatur, incipit ab occipitio, duorum digitorum latitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus ſerpit, quibaſdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. Illud vitium in qualibet ætate eſt, hoc ſere infantibus. Illud vix vnquam ſine curatione, hoc per ſe ſæpe finitur. Quidam hæc genera arearum ſcalpello exaſperant. Quidam illinunt adurentia ex oleo, maximeq; chartam combuſtam. Quidam refinam terebinthinam cum rapſia inducunt. Sed nihil melius eſt, quàm nouacula quotidie radere, quæ cum paulatim ſumma pellicula exciſa eſt, adaperiuntur pilorum radiculæ. Neq; antè oportet deſiſtere, quàm frequentem pilum naſci adparuerit. Id autem, quod ſubinde raditur, illini atramento ſcriptorio ſatis eſt.

De Varis, & Lenticulis, & Ephelide, & eorum curationibus. CAP. V.

PEnè ineptiæ ſunt, curare Varos, & Lenticulas, & Ephelidas. Sed eripi tamen fœminis cura cultus ſui non poteſt. Ex his autem quas ſuprà poſui, Vari, Lenticulæque vulgo notæ ſunt, quamvis rarior ea ſpecies eſt, quàm *ξυνο* Græci vocant, cùm ſit ea Lenticula rubicundior, & inæqualiter. *Εφελίς* verò à plerisque ignoratur, quæ nihil eſt, niſi aſperitas quædam, & durities mali coloris. Cætera non niſi in facie, Lenticulæ etiam in alia parte nonnunquàm naſci ſolent. De qua per ſe ſcribere alio loco, viſum operæ pretium non eſt. Sed Vari commodiſſime tolluntur impoſita refina, cui non minus quàm ipſa eſt, aluminis ſciſſilis, & paulum mellis adiectum eſt. Lenticulam tollunt galbanum & nitrum, cum pares portiones habent, contritaq; ex aceto ſunt, donec ad mellis craſſitudinem

venerint. His corpus illinendum, & interpositis pluribus horis mane eluendum est, oleoque leuiter ungendum. Ephelidem tollit resina, cui tertia pars salis fossilis, & paulum mellis adiectum est. Ad omnia verò ista, atque etiam ad colorandas cicatricos potest ea compositio, quæ ad Tryphonem patrem autorem refertur. In ea pares portiones sunt myrobalani, magmatidis, cretæ cimoliæ subcerulæ, nucum amararum, farinæ hordei, atque erui, struthii albi, fertulæ campanæ seminis. Quæ omnia contrita, melle quàm amarissimo coquantur, illitumq; à vespere vsque mane eluitur.

De oculorum morbis, curationibusq; eorum & primo de his morbis, qui lenibus medicamentis curantur. CAP. VI.

Sed hæc quidem mediocria sunt. Ingentibus verò, & variis casibus oculi nostri patent. Qui cum magnam partem ad vitæ simul & vsum, & dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt. Protinus autem orta lippitudine quædam notæ sunt, ex quibus quid euenturum sit, colligere possimus. Nam simul ac lacryma, & tumor, & crassa pituita cœperint, si ea pituita lacrymæ mista est, & ea lacryma calida est, pituita verò alba, & mollis, tumor nõ durus, longæ valetudinis metus non est. At si lacryma multa, & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idq; in vno oculo est, longum id, sed sine periculo futurum est. Idq; lippitudinis genus minime cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat, sed quandoq; finitur. Si pituita alba & mollis esse incipit, lacrymæq; miscentur, aut si simul hæc vtrunque oculum inuaserunt, potest esse breuior, sed periculum vlcerum est. Pituita autem sicca, & arida dolorem quidem

quidem mouet, sed maturius desinit, nisi quid exulcerauit. Tumor magnus si sine dolore est & siccus, sine ullo periculo est. Si siccus quidem, sed cum dolore est, ferè exulcerat, & nonnunquam ex eo casu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. Eiusdem exulcerationis timor in palpebris pupillisue est, ubi super magnum dolorem lacrymæ salæ, calidæque eunt, aut etiam si tumore infinito diu lacryma cum pituita profluit. Peius etiamnum est, ubi pituita calida, aut liuida est, lacryma calida aut multa profluat caput calet, à temporibus ad oculos dolor peruenit, nocturno vigilia vrget. Siquidem sub his oculus plerumq; rumpitur, votumq; est, ut tantum exulceretur. Intus ruptum oculum febricula iuuat. Si foras iam ruptus procedit, sine auxilio est. Si de nigro aliquid albidum factum est, diu manet. At si asperum crassum est, etiam post curationem vestigium aliquod relinquit. Curari verò oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, vino, vetustissimus auctor Hippocrates memoriæ prodidit. Sed eorum tempora, & causâ parum explicuit, in quibus Medicinæ summa est. Neq; minus in abstinentia, & alui ductio- ne sæpe auxilij est. Hos igitur interdum inflamma- tio occupat, ubi cum tumore in his dolor est, sequiturq; pituitæ cursus nonnunquâ copiosior vel acrior, nonnunquam vtræque parte moderatior. In eiusmodi causa prima omnium sunt, quies & abstinentia. Ergo primo die loco obscuro cubare debet, sic ut à sermone quoq; abstineat. Nullum cibum assumere, si fieri potest, ne aquam quidem: si minus, certè quàm minimum eius. Quòd si graues dolores sunt, com- modius secundo die, si tamen res vrget, etiam pri- mo sanguis mittendus est, utique si in fronte venæ tument, si firmo corpori materia superest. Si verò mi- nor impetus, minus acrem curationem requirit, aliù, sed non nisi secundo, tertioque die duci oportet. At

modica inflammatio neutrum ex his auxilium desiderat. Satisq; est vti quiete, & abstinencia. Neque tamē in lippientibus longum ieiunium necessarium est, ne pituita tenuior atq; acrior fiat. Sed secundo die dari debet id, quod leuissimum videri potest ex his, quæ pituitam faciunt crassiores, qualia sunt oua forbilia. Si minor vis vrget, pulicula quoq; aut panis ex lacte. Insequentibus diebus, quantum inflammationi detrahetur, tantum adijci cibis poterit. Sed generis eiusdem, vtique vt nihil falsum, nihil acre, nihil ex his, quæ extenuât, sumatur, nihil potui præter aquâ. Et victus quidem ratio talis maxime necessaria est. Protinus autem primo die croci p. i. *. & farinæ candidæ quàm tenuissimæ p. ii. *. excipere oportet oui albo, donec mellis crassitudinem habeat, idq; in linteolum illinere, & fronti agglutinare, vt compressis venis pituitæ impetum cohibeat. Si crocum non est, thus idem facit. Linteolo an lana excipiat, nihil interest. Super inungi verò oculi debent, sic vt croci quantum tribus digitis comprehendi potest, sumatur: myrrhæ ad fabæ, papaueris lacrymæ ad lenticulæ magnitudinem, eaq; cum passo conterantur, & specillo super oculum inducantur. Aliud idem: Myrrhæ p. i. *. mandragoræ succi p. i. i. *. papaueris lacrymæ p. ii. *. foliorum rosæ, cicutæ seminis, singulorum p. iiii. *. acaciæ p. iiii. *. gummi p. viii. *. Et hæc quidem interdum. Noctu verò, quò commodior quies veniat, non alienum est superimponere candidi panis interiorem partem ex vino subactam. Nam & pituitam reprimit, & si quid lacrymæ processit, absorbet, & oculum glutinari non patitur. Si graue id, & durum propter magnum oculorum dolorem videtur, oui & album, & vitellus in vas defundendum est, adiciendumq; eo multis paulum, idq; digito permiscendum. Vbi facta vnitas est, demitti debet lana mollis bene carpta, quæ id excipiat, superque oculos im-

ni. Ba res & leuis est, & refrigerando pituitam coer-
cet, & non exarescit, & glutinari oculum non pati-
tur. Farina quoque ordeacea cocta, & cum malo co-
toneo cocto mista, commodè imponitur. Neque ab-
ratione abhorret etiam penicillo potissimum uti ex-
presso: si leuior impetus est, ex aqua: si maior, ex po-
sca. Priora fascia deliganda sunt, ne per somnum ca-
dant, & hoc superimponi satis est, quia & reponi ab
ipso commodè potest, & cum inaruit, iterum madesca-
ciendum est. Si tantum mali est, ut somnum diu pro-
hibeat, eorum aliquid dandum est, quæ *ἰνδὸν* Græ-
ci vocant. Satisq; est puero, quod erui, viro quod fa-
be magnitudinem impleat. In ipsum verò oculum
primo die, nisi immodica inflammatio est, nihil rectè
conicitur. Sæpe enim potius concitatur eo pituita,
quàm minuitur. A secundo die graui quoque lippitu-
dini per indita medicamenta rectè succurritur, ubi
vel iam sanguis missus, vel alius ducta est, aut ubi
neutrum necessarium esse, manifestum est.

De diuersis oculorum collyriis.

Multa autem malorumque autorum collyria
ad id apta sunt, nouisq; etiam nunc mistu-
ris temperari possunt, cum lenia medicamē-
ta & modice reprimētia, facile & varie misceantur.
Ergo nobilissima exequar.

Philonis collyrium.

Est igitur Philonis, quod habet cerussæ elo-
tæ, spodii, gummi, singulorum p. i. * papaue-
ris lacrymæ combustæ p. i. * Illud scire oportet,
hic quoque omnia medicamenta, singula primū
per se seri, deinde mista, iterum adiecta paulatim vel
aqua vel alio humore: gummi cum quasdā aliis fa-

cultates habeat, hoc maxime præstare, vt vbi collyria facta inaruerunt, glutinata sint, neque frientur.

Dionysii collyrium.

Dionysij verò collyrium est, papaueris lacrymæ combustæ, donec tenerescat, p. i. * thuris combustæ, gummi, singulorum p. ii. * spodii p. iii. *

Cleonis collyrium.

Cleonis nobile admodum, papaueris lacrymæ frictæ p. i. * croci p. i. * gummi p. i. * quibus cum teruntur, adiicitur rosæ succus. Aliud eiusdem valentius. Squamæ æris quod *στομμα* appellant, p. i. * croci p. ii. * spodii p. iii. * plumbi & eloti, & combustæ p. v. * gummi tantundem. Eius aliud quoque ad idem est, maxime ubi multa pituita profluit. Castorei p. 3. aloes p. l. * croci p. l. * myrrhæ p. ii. * licii p. iii. * cadmiæ curatæ p. viii. * stibis tantundem, acaciæ succi p. xii. * quod cum gummi miscuit, liquidum in pixidicula seruatur. Theodotus verò huic compositioni adiecit papaueris lacrymæ combustæ p. * æris combustæ & eloti p. ii. * nucleorum palmarum combustarū p. x. * gūmi p. xii. *

Theodoti collyrium, Acharistum appellatum.

Atipsius Theodoti, quod à quibusdam *α'χαριστον* nominatur, eiusmodi est. Castorei, nardi indici, singulorum p. i. * lycii p. * papaueris lacrymæ tantundem, myrrhæ p. ii. * croci, cerussæ elotæ, aloes. singulorum p. iii. * cadmiæ botryodis elotæ, æris combustæ, singulorum p. viii. * gummi p. viii. * acaciæ succi p. xx. * stibis tantundem, quibus aqua pluuiæ adiicitur.

Cythion vel Thephrion collyrium.

Pater hæc ex frequentissimis collyriis est id, quod quidam Cythion, quidam à cinereo colore Tephriion appellant, amyli, tragacanthæ, acaciæ succi, gummi, singulorum p. i. * papaueris lacrymæ p. i. i. * cerussæ elotæ p. i. i. i. * spumæ elotæ p. i. i. i. Quæ æque ex aqua pluuiali conteruntur.

Euelpidis, collyrium, Trygodes nominatum.

Euelpides autē qui ætate nostra maximus fuit ocularius medicus, utebatur eo, quod ipse composuerat, Trygodes nominabat. Castorei p. i. i. * lycii, nardi, papaueris lacrymæ, singulorum p. i. * croci, myrrhæ, aloes, singulorum p. i. i. i. * æris combustii p. v. i. i. * cadmiæ, & stibis, singulorum p. x. i. i. * acaciæ succi p. xxvi. * gummi tantundem. Quo grauior verò quæque inflammatio est, eo magis leniri medicamentum debet, adiecto vel albo oui, vel muliebri lacte. At si neque medicus, neque medicamentū præsto est, sæpius vtrumlibet horum in oculis penicillo ad ipsum facto infusum, id malum lenit. Vbi verò aliquis releuatus est, iamq; cursus pituitæ constitit, reliquias fortasse leniores futuras dissecunt balneum & vinum. Igitur lauari debet leuiter, antè ex oleo perfricatus, diutiusq; in cruribus & feminibus multaq; calida aqua fouere oculos, deinde per caput prius calida, tum egelida perfundi, à balneo caue re, ne quo frigore afflatus lædatur, posthæc cibo paulo pleniore, quàm ex eorum dierum consuetudine, vti vitæ tamen omnibus pituitam extenuantibus. Vinum bibere lene, subausterum, modice vetus, neque effuse, neque timide, vt neque cruditas ex eo, & tamen somnus fiat lenianturq; intus latentia acris. Sed si quis in balneo sensit maiorem oculorum per-

S iiij

turbationem quam attulerat, quod incidere his solet, qui manente adhuc pituitæ cursu festinarunt, quamprimum discedere debet, nihil eo die vini assumere, cibi minus etiam quam pridie. Deinde cum primum satis pituita substitit iterum ad usum balnei redire. Solet tamen euenire nonnunquam siue tempestatum virio, siue corporis, ut pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, & minimè pituitæ cursus finiatur. Quod ubi incidit, iamq; ipsa vetustate res matura est, ab his eisdem auxilium petendum est, id est balneo ac vino. Hæc enim ut in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possunt, & accendere, sic in veteribus quæ nullis aliis auxiliis cesserunt, ad modum efficacia esse consuerunt. Videlicet hic quoque ut alibi, cum secunda vana fuerint, contrarijs adiuuantibus. Sed antè tondere ad cutem conuenit. Deinde in balneo aqua calida quamplurima caput atque oculos fouere, tum vtrunque penicillo detergere, & ungere caput irino vnguento; continereque in lectulo se, donec omnis calor qui conceptus est, finiatur, desinatq; sudor, qui necessarius in capite collectus est. Tum ad idem cibi viniq; genus veniendum est sic, uti poriones meracæ sint, obtegendumq; caput, & quiescendum. Sepe enim post hæc grauis somnus, sæpe sudor, sæpe alui deiectio pituitæ cursum finit. Si leuatum malum est, quod aliquanto sæpius fit, per plures dies idem fieri oportet, donec ex toto sanitas restituatur. Si diebus eiusdem aluus nihil reddit, ducenda est, quo magis superiores partes leuentur. Nonnunquam autem ingens inflammatio tanto impetu erumpit, ut oculos sua sede propellat. *προπτωσιν* id, quoniam oculi procidunt, Græci appellant. His utique, si vires patiuntur, sanguinem mitti: si id fieri non potest, aluum duci, longioremq; inedia indici necessarium est. Opus autem lenissimis medicamentis est. Ideoq; Cleonis collyrio quidam quod

ex duobus antè positum est, vtuntur. Sed optimum est Nilei. Neque de vlllo magis inter omnes autores conuenit.

Nilei collyrium omnium optimum.

ID habet nardi Indici, papaueris lacrymæ, singulorum p.i. * gummi p.i. * croci p.ii. * foliorum rosæ recentium p.iiii. * Quæ vel aqua pluuiati li, vel vino leni subaustero coguntur. Neque alienum est malicorium, vel fertulam campanam ex vino coquere, deinde conterere, aut myrrham nigram cum rosæ foliis miscere, aut hyoscyami folia, cum oui cocti vitello, aut farinam cum acaciæ succo, vel passo, aut mulsò. Quibus si folia quoque papaueris adiciuntur, aliquanto valentiora sunt. Horum aliquo præparato, penicillo fouere oculos oportet, ex aqua calida expresso: in qua antè melmyrti vel rosæ folia decocta sint. Deinde ex illis aliquid imponi. Præter hæc ab occipitio incisa cute, cucurbitula admouenda est. Quod si per hæc restitutus oculus in sedem suam non est, eodemq; modo prolapsus permanet, scire oportet, lumen esse amissum. Deinde futurum, vt inarescat is, aut in pus vertatur. Si suppuratio se ostendit, ab eo angulo qui propior temporis est, incidi oculus debet: vt effuso pure & inflammatio, ac dolor finiat, & intus tunica residant, quo minus fœda postea facies sit. Utendum deinde vel iisdem collyriis est ex lacte, aut ouo, vel croco, cui album oui misceatur. Ac si induruit & sic emortuus est, ne in pus verteretur, quatenus fœde prominebit, excidendum erit, sic vt hamo summa tunica apprehendatur: infra id deinde scalpellus incidat, tantundem medicamenta erunt coniicienda, donec omnis dolor finiatur. Iisdem medicamentis in eo quoque oculo utendum est, qui primum procidit, deinde per plura loca fixus est.

S iiii

COR. CELSI

De carbunculis oculorum, & eorum curatione.

Solent etiam carbunculi ex inflammatione nasci, nonnunquam in ipsis oculis, nonnunquam in palpebris, & in his ipsis oculis modo ab interiore, modo ab exteriori. In hoc casu alius ducenda est, cibus minuendus, lac potui dandum, ut acria quæ læserunt, leniantur. Quod ad cataplasmata & medica-
menta pertinet, his utendum, quæ aduersus inflamma-
tiones proposita sunt. Atque hic quoque Nilei colly-
rium optimum est, si tamen carbunculus in exteriori
palpebræ parte est, ad cataplasmata aptissimum est
lini semen, ex mulso coctum, aut si id non est, tritici
farina eodem modo cocta.

De pustulis oculorum & curatione earum.

Pustulæ quoque ex inflammationibus interdum
oriuntur. Quod si inter initia protinus incidit,
magis etiam seruanda sunt, quæ de sanguine, &
quiete supra posui. Sin serius quam ut sanguis mitti
possit, alius tamen ducenda est. Si id quoque aliqua
res inhibet, utique victus ratio seruanda est. Medica-
mentis autem hic quoque lenibus opus est, quale Ni-
lei, quale Cleonis est.

Phyletis collyrium, ad pustulas oculorum.

ID quoque, quod Philetis vocatur, huic aptum
est, Myrrhæ, papaueris, lacrymæ, singulorum p. i.
* plumbi eloti, terræ samiæ, quæ ἀσπρ vocatur,
tragacanthæ, singulorum p. iiii. * stibis cocti, amy-
li singulorum p. xvi. * spodii eloti, cerussæ elotæ, sin-
gulorum p. vii. * Quæ aqua pluuiali excipiuntur.
Vfus collyrii, vel ex ovo, vel ex lacte est.

De vlceribus oculorum, & eorum curatio-
ne, & de diabalanu, collyrio.

EX pustulis vlcera interdum fiunt, eaq; recen-
tia æque lenibus medicamentis nutrienda
sunt, & iisdem fere quæ supra in pustulis po-
sui. Fit quoque proprie ad hæc quod diabalanu vo-
catur. Habet æris combusti & eloti papaueris lacry-
mæ frictæ, singulorum p. i. * spodii eloti, thuris, sti-
bis, combusti & eloti, myrrhæ, gummi, singulorum
p. ii. *

Curatio oculorum aliquo casu imminutorum.

EVenit etiam, vt oculi vel ambo, vel singuli;
minores fiant, quàm esse naturaliter debeant.
Idque & acer pituitæ cursus in lippitudine ef-
ficat & continuati fletus, & ictus parum bene curati.
In his quoque iisdem lenibus medicamentis ex mu-
liebri lacte vtendum est. Cibis verò his qui maxime
corpus alere, & implere consuerunt. Vitandaq; om-
ni modo causâ, quæ lacrymas excitet, curaq; dome-
sticorum, quorum etiam siquid tale incidit, eius no-
citiæ subtrahendum, atque acria quoque medica-
menta, & acres cibi non alio magis nomine his nocent,
quàm quòd lacrymas mouent.

De pediculis palpebrarum,

GEnus quoque viriis est, qui inter pilos palpe-
brarum pediculi nascuntur. Id *φθυρία* Græ-
ci nominant. Quod cum ex malo corporis ha-
bitu fiat, raro non vltra procedit. Sed fere tempore
interposito, pituitæ cursus acerrimus sequitur, exul-
ceratisq; vehementer oculis, aciem quoque ipsam
corrumpit. His aluus ducenda, caput ad cutem ton-

dendum, diuq; quotidie ieiunis perfricandum. His, ambulationibus, aliisq; exercitationibus diligenter vtendum, gargarizandumq; ex mulso, in quo nepeta & pinguis ficus decocta sit: sæpe in balneo multa calida aqua fouendum caput. Vitandi acres cibi, lacte vinog; pingui vtendum, bibedumq; liberalius quam edendum est. Medicamenta verò intus quidem lenia danda sunt, ne acriorem pituitam concitent. Super ipsos verò pediculos alia, quæ necare eos & prohibere ne similes nascantur, possint. Ad id ipsum spumæ nitrî p.i. * sandaracæ p.i. * vuæ taminix p.i. * simul teruntur, adiiciturq; vetus oleum pari portione, atque acetur, donec ei mellis crassitudo sit.

De oculorum grauioribus morbis, qui ex inflammationibus oriuntur, & validioribus medicamentis curantur, & de Andree collyrio, & de diacurato.

HActenus oculorum morbi lenibus medicamentis nutriuntur. Genera deinde alia sunt, quæ diuersam curationem desiderant, fereque ex inflammationibus nata sunt, sed finitis quoque his manentia. Atque in primis in quibusdam perseverat tenuis pituitæ cursus, quibus alius ab inferiore parte euocanda est, demendum aliquid ex cibo. Neque alienum est illini frontem compositione Andree. Quæ habet gummi p.i. * cerussæ, stibis, singulorum p.ii. * spumæ argenti & coctæ, & elotæ p.iii. * Sed & ea spuma ex aqua pluuiali coquitur, & arida hæc medicamenta ex succo myrti conteruntur. His illita fronte, cataplasma quoque super iniciendum ex farina quæ frigida aqua coacta sit, cuique aut acaciæ succus, aut cupressus adiecta sit. Cucurbitula quoq; inciso vertice, recte accommodatur, aut ex temporibus sanguis emittitur. Inungi verò eo debet quod

habet squamæ æris, papaueris lacrymæ, singulorum
 p. * ceruini cornu combusti & eloti, plumbi eloti,
 gummi, singulorum p. iiii. * thuris p. x i i. * Hoc
 collyrium quia cornu habet, *κρηνη* nominatur.
 Quotiescunque non adiicio quod genus humoris
 adiiciendum sit, aquam intelligi volo.

Memigmenon, Euelpidis collyrium.

AD idem Euelpidis, quod *μυγμανον* nomina-
 bat. In eo papaueris lacrymæ, & albi piperis,
 singulæ vnciæ sunt, gummi libra, æris com-
 busti p. i. * Inter has autem curationes, post inter-
 missionem aliquam profunt balneum & vinum. Cūq;
 omnibus lippientibus vitandi cibi sunt, qui exte-
 nuant, tum præcipue quibus tenuis humor diu fer-
 tur. Quod si iam fastidium est eorum, quæ pituitam
 crassiorem reddunt, sicut in hoc genere materiæ ma-
 xime promptum est, confugiendum est ad ea, quæ
 quia ventrem, corpus quoque astringunt.

**De oculorum vlcerebus supercrescentibus,
 sordidis, cauis, veteribus, & curationi-
 bus singulorum.**

AT vlcera si cum inflammatione finita non
 sunt, aut supercrescentia, aut sordida, aut ca-
 ua, aut certe vetera esse consueverunt. Ex his
 supercrescentia collyrio, quod Memigmenon voca-
 tur, optime reprimuntur. Sordida purgantur & eo-
 dem, & eo quod Smilion nominatur.

Smilion collyrium.

Habet æruginis p. i i i. * gummi tantundem,
 ammoniaci, minii sinopici, singulorum p.

COR. CELSI

xvi. * Quæ quidam ex aqua, quidam, quo vehemē-
tiora sint, ex aceto terunt.

Phynon collyrium Euelpidis.

ID quoque Euelpidis, quod Phynon appellabat,
huic utile est. Croci p. i. * papaueris lacrymæ,
gummi, singulorum p. ii. * æris combusti & elo-
ti, myrrhæ, singulorum p. iiii. * piperis albi p. vi. *
Sed ante linitum hoc vngendum est.

Sphærian collyrium Euelpidis.

ID quoque eiusdem, quod Sphærian nominabat,
eodem valet. Lapidis hæmatitis eloti p. ii. * pi-
peris grana sex, cædmiæ eloti, myrrhæ, papau-
ris lacrymæ, singulorum p. iii. * croci p. iiii. * gum-
mi, p. viii. * Quæ cum vino amineo conteruntur.

Liquidum Euelpidis collyrium.

Liquidum quoque medicamentum ad idem cō-
ponebat, in quo erant, hæc, æruginis p. * minii
combusti, atramenti sutorii, cinamomi, singu-
lorum p. iiii. * croci, nardi, papaueris lacrymæ, singu-
lorum p. i. * myrrhæ p. ii. * æris combusti p. iiii. * ci-
neris ex odoribus p. iiii. * piperis grana xv. Hæc ex
vino austero teruntur, deinde cum passi tribus hemi-
nis decoquuntur, donec corpus vnum sit. Idq; medi-
camentum venustate efficacius fit.

De cauīs oculorum vlceribus, & curationibus.

CAua verò vlcera commodissime implent ex
his quæ supra posita sunt, Sphærian, & id
quod Philetis vocatur. Idem Sphærian ve tu.

COR. CELSI

lacrymæ p. xii. * cerussæ p. xv. * piperis albi, crocificuli, singulorum p. lli. * gummi p. xlii. * cadmiæ elo-
tæ p. i. x. * Maxime tollere cicatricem videtur, id
quod habet gummi p. lli. * æruginis p. l. * crocoma-
gmatis p. llii. *

De alio genere inflammationis oculorum.

EST etiam genus inflammationis, in quasi cui
tument ac distenduntur cum dolore oculi, san-
guinem ex fronte emitti necessarium, multa-
que aqua calida caput atque oculos fouere, gargari-
zari ex lenticula, vel ex fici cremore, inungi acribus
medicamentis, quæ supra comprehensa sunt, maxi-
meq; eo quod Sphærian nominatur, quod lapidem
hæmatiten habet. Atque alia quoque vtilia sunt, quæ
ad extenuandam aspritudinem fiunt, de qua protin-
us dicam. Hanc autem inflammatio oculorum fere
sequitur, interdum maior, interdum leuior, nonnun-
quam etiam ex aspritudine lippitudo fit, deinde aspri-
tudinem ipsam auget, fitq; ea in aliis brevis, in aliis
longa, & quæ vix vnquam finiatur. In hoc genere va-
rietudinis quidam crassas durasq; palpebras, & ficul-
neo folio & asperato specillo, & interdum scalpello
eradunt, versasq; quotidie medicamentis suffricant.
Quæ neque nisi in magna vetustaq; aspritudine, neq;
sæpe facienda sunt. Nam melius eodem ratione vi-
ctus & idoneis medicamentis peruenitur. Ergo exer-
citationibus utemur, & balneo frequentiore, multa-
que oculorum palpebras aqua calida fouebimus. Cibos
autem sumemus acres, & extenuantes.

Cæsarianum collyrium.

AT medicamentum id quod Cæsarianum vo-
catur, habet atramenti sutorii r. i. * misyos
r. * piperis albi r. v. * papaueris lacrymæ, gu-

mi, singulorum p. ii. * cadmiæ lotæ p. iii. * stibis p. vi. * Satisque constat, hoc collyrium aduersus omne genus oculorum valetudinis idoneum esse, exceptis his quæ lenibus nutriuntur.

Hieracis collyrium.

ID quoque quod Hieracis nominatur, ad aspritudinem potest. Habet myrrhæ p. i. * ammoniaci, thymiamatis p. ii. * æruginis rasæ p. iii. * cum aqua pluuiatili. Ad idem idoneum est etiam id quod Canopite est, & id quod Smilion vocatur, & id quod pyximum, & id quod Sphæron. Si composita medicamenta non adsunt, felle caprino, vel quam optimo melle satis commode aspritudo curatur.

De Xerophthalmia, genere aridæ lippitudinis.

EST etiam genus aridæ lippitudinis, *Ξεροφθαλμία* Græci appellant, neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantum, & cum dolore quodam grauescunt, & noctu prægravi pituita inarescunt: quantoq; minor generis huius imperus, tanto finis minus expeditus est. In hoc vitio multum ambulare, multum exerceri, lauari sæpe, ibiq; de sudare, multaque frictione uti necessarium est. Cibi neque qui implent, neque nimium acres apti sunt, sed inter hos medii. Mane ubi concoxisse manifestum est, non alienum est ex sinapi gargarizare, tum deinde caput atque os diutius perfricare.

Rhinion collyrium.

COLLYRIUM verò aptissimum est, quod Rhinion vocatur. Habet myrrhæ p. i. * papaueris lacrymæ, acaciæ succi, piperis, gummi, sing. p. i.

C O R. C E L S I

lapidis hæmatitis, lapidis phrygii, licii, lapidis scissilis, singulorum p. ii. * æris combusti p. iiii. * Ac pyxinum quoque eodem accommodatum est.

Ad oculos scabros, collyria.

SI verò scabri oculi sunt, quòd maxime in angulis esse consuevit, potest prodesse Rhinion, id quod supra positum est: potest similiter prodesse id quòd habet æruginis rase, piperis longi, papaueris lacrymæ, singulorum p. ii. * piperis albi, gummi, singulorum p. * iiii. cadmiæ elotæ, cerussæ, singulorum p. vi. * Nullum tamè melius est quàm Euelpidis, quod Basilicon nominabat. Habet papaueris lacrymæ, cerussæ, lapidis Asij, singulorum p. ii. * gummi p. xiii. * piperis albi p. iiii. * croci p. vi. * psorici p. xiii. * Nulla autem per se materia est, quæ Psoricum nominetur, sed chalcitidis aliquid, & cadmiæ dimidio plus ex aceto simul conteruntur, idq; in vas fictile additum, & contextum ficulneis foliis sub terra reponitur, sublatumq; post dies viginti rursus teritur, & sic appellatur. Verùm in basilico quoque collyrio conuenit, ad omnes affectus oculorum id esse idoneum, qui non lenibus medicamentis curantur. Vbi non sunt autem medicamenta composita, scabros angulus leuant & mel & vinum. Succurritq; & his, & aridæ lippitudini, si quis panem ex vino subactum super oculum imponit. Nam cum ferè sit humor aliquis, qui modo ipsum oculum, modo angulos, aut palpebras exasperat, sic, & si quid prodit humoris, extrahitur, & si quid iuxta est, repellitur.

Ad Caligationem oculorum, quæ propter lippitudinem oritur, remedia & collyria.

Caligare

C Aligare verò oculi nonnunquam ex lippitudine, nonnunquam etiam sine hac propter senectutem, imbecillitatemve aliā consueverunt. Si ex reliquijs lippitudinis id vitium est, adiuuat collyrium, quod Asclepias nominatur. Adiuuat id quod ex crocomagmate fit.

Diacrocu collyrium.

Proprie etiam ad id componitur, quod *διακροκου* vocāt, habet piperis p. i. * croci cilicis, papaueris lacrymæ, cerussæ, singulorum p. ii. * psorici gummi, singulorum p. iiii. *

Ad caligationem oculorum, quæ propter senectutem, aut aliam imbecillitatem fit.

A T si ex senectute, aliasve imbecillitate id est recte iniungi potest, & melle quàm optimo, & cyprino, & oleo vetere. Commodissimum tamen est, balsami partem vnam, & olei veteris, aut cyprini partes duas, mellis quàm acerrimi partes tres miscere. Vtilia quoque huic medicamenta sunt, quæ ad caliginem proxime, quæq; ad extenuandas cicatrices suprâ comprehensâ sunt. Cuicumque verò oculi caligabunt, huic opus erit multa ambulatione atque exercitatione, frequenti balneo, vbi totum quidem corpus perfricandum est, præcipue tamen caput, & quidem irino, donec insudet, velandumque postea, nec detegendum antequam sudor, & calor domi conquierint. Tum cibus vtendum acribus, & extenuantibus, interpositisque aliquibus diebus, ex sinapi gargarizandum.

De suffusione oculorum.

T

COR. CELSI

Suffusio quoque (quam Græci ὑπόχυσιν nominant) interdum oculi potentia, qua cernit, se opponit. Quod si inueterauerit, manu curandū est. Inter initia nonnunquam etiam certis obseruationibus discutitur. Sanguinem ex fronte vel naribus mittere, in temporibus venas adurere, gargarizando pituitam euocare, suffumigare oculos acribus medicamentis, inungere expedit. Victus optimus est, qui pituitam extenuat.

De resolutione oculorum, quæ Paralysis dicitur.

ACne resolutio quidem oculorum, quam παραλυσιν Græci nominant, alio victus modo, vel alijs medicamentis curanda est. Exposuisse tantum genus vitii satis est. Igitur interdum euenit, modo in altero oculo, modo in vtroque, aut ex ictu aliquo, aut ex morbo comitali, aut ex distentione neruorum, qua vehementer oculus ipse concussus est, vt his neque quoquam intendi possit, nec omnino consistat: sed huc illuc ve sine ratione moueatur ideo quæ ne conspectum quidem rerum præstet.

De Mydriasi oculorum.

Non multum ab hoc malo distat id, quod μυδριασιν Græci vocant. Pupilla effunditur & dilatur, aciesq; eius hebescit: ac penè difficillime genus id imbecillitatis eliditur. In vtraque verò, id est, & paralyfi & mydriasi, pugnandum est per eadem omnia, quæ in caligine oculorum præcepta sunt, paucis tantum mutatis: siquidem ad caput xirino interdum acetum, interdum nitrum adiiciendum est, melle inungi satis est. Quidam in posteriore vitio calidis aquis vsi releuatiq;. Quidam sine vlla manifesta causa subito obæcati sunt. Ex quibus nō-

nulli cum aliquandiu nihil vidissent, repentina profusione alui lumen receperunt. Quo minus alienum videtur, ex recenti re & interposito tempore medicamentis quoque moliri deiectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant.

De imbecillitate oculorum.

Preter hæc imbecillitas oculorum est, ex qua quidem interdum satis, noctu nihil cernunt, quod in feminam bene respondentibus mentibus non cadit: Sed sic laborantes inungi oportet sanguine iocinoris, maxime hircini: si minus, caprini: ubi id assum coquitur, excepto: atque edi quoque ipsum iecur debet. Licet tamen etiam iisdem medicamentis non inutiliter uti, quæ vel cicatrices, vel asperitudinem extenuant: quidam contrito semine portulacæ mel adiiciunt, eatenus ne id ex specillo distillet, eoq; inungunt. Exercitationibus, balneo, frictionibus, gargarizationibus iisdem, his quoq; utendum est.

Ad oculos, qui extrinsecus offenduntur, cum sanguine suffusi sunt.

Et hæc quidem in ipsis corporibus oriuntur. Extrinsecus verò interdum si ictus oculum lædit, ut sanguis in eo suffundatur, nihil commodius est, quam sanguine vel columbe, vel palumbi, vel hirundinis inungere. Neque id sine causa fit. cum horum acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redeat, celeberrimeq; hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes, aut id herba chelidonia restitui, quod per se sanescit. Eorum ergo sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissime tuetur, hoc or-

T ij

dine, vt sic hirundinis optimus, deinde palumbi, minime efficax columbe & illi ipsi, & nobis. Supra percussum verò oculum ad inflammationem leniendam, non est alienum imponere etiam cataplasmata. Sed ammoniacus, vel quilibet alius quàm optimus teri debet, sic vt ei paulatim oleum adiiciatur, donec crassitudo strigmenti fiat. Id deinde miscendum est cum hordeacea farina, quæ ex mulso decocta sit. Facile autem recognitis omnibus, quæ medici quoque prodiderunt, apparere cuilibet potest, vix vllum ex his, quæ supra comprehensa sunt, oculi vitium esse, quod non simplicibus quoque, & promptis remediis submoueri possit.

De aurium morbis, & curationibus. CAP. VII.

HActenus in oculis ea reperiuntur, in quibus medicamenta plurimum possint. Ideoque ad aures transeundum est, quarum vsum proximum a luminibus natura nobis dedit. Sed in his aliquanto maius periculum est: nam vitia oculorum intra ipsos nocent. Aurium inflammationes doloresq; interdum etiam ad dementiam mortemque præcipitant. Quo magis inter initia protinus succurrendum est, ne maiori periculo locus sit. Ergo vbi primum dolorem aliquis sentit, abstinere & continere se debet. Postero die, si vehementius malum est, caput tondere, idq; irino vnguento calido perungere & operire. At magnus cum febre vigiliaq; dolor exigit, vt sanguis quoque mittatur. Si id aliquæ causæ prohibet, aliud soluenda est. Cataplasmata quoque calida subinde mutata proficiunt, siue fœni Græci, siue lini, siue alia farina ex mulso decocta est. Recte etiam subinde admouentur spongiæ, ex aqua calida expressæ. Tum leuato dolore, ceratum circumdari debet ex irino aut cyprino factum. In quibusdam tamen melius,

quod ex rosa factum est, proficit. Si vehemens inflammatio somnum ex toto prohibet, adiaci cataplasinata debent, papaueris, corticis fricti atque contriti, sic ut ex his pars dimidia sit, eaq; tum simul ex passo misto decoquatur. In aurem verò infundere aliquod medicamentum oportet, quod semper antè tepe fieri conuenit, commodissimeque per strigilem instillatur. Vbi auris repleta est, super lana mollis addenda est, quæ humorem intus contineat. Et hæc quidem cōmunia sunt. Medicamentum verò est & rosa, & radicū arundinum succus, & olerum in quo lumbrici cocti sunt, & humor ex amaris nucibus, aut ex nucleo mali persici expressus. Composita verò ad inflammationem doloremque leniendum hæc ferè sunt.

Castorei, papaueris lacrymæ pares portiones conteruntur, deinde adiicitur his passum. Vel papaueris lacrymæ, croci, myrrhæ par modus, sic teritur, ut inuicem modo rosa, modo passum instilletur. Vel id quod amarum in ægyptia faba est, conteritur rosa adiecta. Quibus myrrhæ quoque paulum à quibusdam miscetur, vel papaueris lacrymæ, aut thus cum muliebri, lacte vel amararum nucum cum rosæ succo. Vel castorei, myrrhæ, papaueris lacrymæ pares portiones cum passo. Vel croci p. i. * myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum p. * 3. quibus cum teruntur, paulatim miscentur passi cyathi tres, mellis minus cyathio. Idque ex primis medicamentis est. Vel papaueris lacryma ex aceto. Licet etiam compositione uti Themisonis, quæ habet castorei, opopanax, papaueris lacrymæ ex aceto, singulorum p. ii. * spumæ lycii p. i i i i. * Quæ contrita passo excipiuntur, donec cerati crassitudinem habeant, atque ita reponuntur. Vbi usus requiratur, rursus idem medicamentum adiecto passo, specillo teritur. Illud perpetuum est, quotiescunque crassius medicamentum est, quàm ut in aurem instillari possit, adiaciendum eum esse humorem, ex quo

id componi debet, donec satis liquidum sit. Si vero
 pus quoque aures habent, recte lycium per se in fun-
 ditur, aut irinum vnguentum, aut porri succus cum
 melle, aut centaureæ succus cum passo, aut dulcis pu-
 nici mali succus in ipsius cortice tepesfactus: adiecta
 myrrhæ exigua parte. Recte etiam miscentur myr-
 rhæ (quam *σακτιν* cognominat) p. i. * croci tantun-
 dem, nuces amaræ xv. mellis sesquicyathus. Quæ cō-
 trita, cum vtendum est, in cortice punici mali tepe-
 fiant. Ea quoque medicamenta quæ oris exulcerati
 causa componuntur, æque vlcera aurium sanant.
 Quæ si vetustiora sunt, & multa sanies fluit, apta com-
 positio est, quæ ad autorem Erasistratum refertur, pi-
 peris p. * croci p. i. 3. * myrrhæ, misyos cocti, singulo-
 rum p. ii. * æris combusti p. ii. * Hæc ex vino terun-
 tur. Deinde vbi inaruerunt, adijciuntur passi hemi-
 næ tres, & simul coquuntur. Cum vtendum est, adijci-
 tur his mel & vinum. Est etiā Ptolemæi chirurgi me-
 dicamentum, quod habet lentisci p. i. * galla p. i. *
 omphacis p. i. * succum punici mali. Est Menophili
 validum admodum, quod ex his constat, piperis lon-
 gi p. i. * castorei p. ii. * myrrhæ, croci, papaueris la-
 crymæ, nardi syriaci, thuris, malicorii, ex Aegyptia
 faba partis interioris, nucum amararū, mellis quā-
 oprimi, singulorum p. iiii. * Quibus, cum teruntur,
 adijcitur acetum quā acerrimum, donec crassitudo
 in his passi fiat. Est Cratonis, cinamomi, casia, singu-
 lorum p. i. * lycii, nardi, myrrhæ, singul. p. i. * aloes
 p. ii. * mellis cyathi tres, vini sextarius. Ex quibus
 vinum cum lycio decoquitur, deinde his alia miscen-
 tur. At si multum puris, malusq; odor est, æruginis ræ-
 fæ, thuris, singulorum p. ii. * mellis cyathi duo, ace-
 ti quatuor simul incoquuntur. Vbi vtendum est, dul-
 ce vinum miscetur. Aut aluminis scissilis, papaueris
 lacrymæ, acaciæ succi par pondus miscetur, hisque
 adijcitur hyoscyami succi dimidio minor q̄ vini ex

superioribus portio, eaque trita, ex vino diluuntur. Per se quoque hyoscyami succus satis proficit. Com mune verò auxilium aduersus omnes aurium casus, iamq; vsu comprobatum Asclepiades composuit. In eo sunt cinamomi, calix, singulorum P. i. * flores iunci rotundi, castorei albi piperis longi, amomi, myrobalani, singulorum scrupuli duo, thuris masculi, nardi syriaci, myrrhe, pinguis, croci, spumæ nitri, singulorum P. i. i. * Quæ separatim contrita, rursus mista ex aceto conteruntur, atque ita condita, vbi vtendū est, aceto diluuntur. Eodem modo commune auxilium auribus laborantibus est, Polybii sphragis ex dulci vino liquata. Quæ compositio priore libello continetur. Quod si & sanies profluit, & tumor est, non alienum est, misto vino per oricularium clyttem eluere, & tum infundere vinum austerum cum rosa mistum, cui spodii paulum sit adiectum, aut lycium cum lacte, aut herbe sanguinalis succum cum rosa, aut mali punici succum cum exigua parte myrrhe. Si sordida quoque vlcera sunt, melius mallo eluuntur, & tum aliquod ex his, quæ supra scripta sunt, quod mel habeat, infunditur. Si magis pus profluit, & caput utiq; tendendum est, & multa calida aqua perfundendum, & gargarizandum, & vsque ad lassitudinem ambulandum, & cibo modico vtendum est. Si cruor quoque ex vlceribus apparuit, lycium cum lacte debet infundi, vel aqua, in qua rosa decocta sit, succo aut herbe sanguinalis, aut acaciæ adiecto. Quod si super vlcera caro increuit, eaq; mali odoris sanguinem fundit, aqua tepida elui debet; tamen infundi id, quod ex thure & ærugine, & aceto, & melle fit, aut mel cum ærugine incoctum. Squama quoq; æris cum sandaraca contrita per fistulam recte instillatur.

Aduersus aurium vermes.

T

iiiij

VBi verò vermes orti sunt, si iuxta sunt, protrahendi oriculario specillo sunt. Si lōgius, medicamentis enecandi, cauendumque ne poltea nascantur. Ad vtrunque proficit album veratrum cum aceto contritum. Elui quoque aurē oportet vino, in quo marrubium decoctum sit. Sic emortui vermes in primam auris partem prouocabuntur, vnde facillime educi possunt.

Ad compressa aurium foramina.

SIn foramen auris compressum est, & intus crassa sanies, subest, mel quam optimum addendum est. Si id parum proficit, mellis cyathio & dimidio, æruginis rasæ P. ii. * adiiciendum est, incoquendumque, & eo vtendum. Iris quoque cum melle idē proficit. Item mellis & rosæ scrupuli duo. Item galbani P. ii. * myrrhæ cum melle & fellis taurini, singulorum P. ii. * vini quantum satis est ad myrrham diluendam.

Ad grauem auditum.

VBi verò grauius aliquis audire cœpit, quod maxime post longos capitis dolores euenire consuevit. In primis aurem ipsam considerare oportet. Apparebit enim aut crusta, qualis super vlceram nascitur, aut sordium coitus. Si crusta est, infundendum est aut oleum calidum, aut cum melle erugo, vel porri succus, aut cum mulso nitri paulum. Atque vbi crusta à corpore iam recedit, eluenda auris aqua tepida est, quo facilius ea per se diducta oriculario specillo protrahatur. Si sordes æque molles sunt, eodem specillo eximendæ sunt. At si duræ sunt, acetum & cum eo nitri paulum coniiciendum est. Cumq; emollitæ sunt, eodem modo elui aurem purgariq; oportet. Quòd si capitis grauitas manet, attō-

dendum idem, & leniter, sed diu perfricandum est: adiecto vel irino vel laureo oleo, sic vt vtrilibet paulum aceti misceatur: tum diu ambulandum, leniterq; post vnctionem aqua calida caput fouendum. Cibisq; vtendum ex imbecillissima, & media materia, magisq; assumendæ dilutæ potiones, nonnunquam gargarizandum est. Infundendum autem in aurem castoreum cum aceto, & laureo oleo, & succo radiculae corticis. Aut cucumeris agrestis succus, adiectis contritis rosæ folijs. Immaturæ quoque vix succus cum rosâ instillatus, aduersus surditatem satis proficit.

Ad sonitum aurium intra seipfas.

Aliud vitij genus est, vbi aures intra seipfas sonant. Atque hoc quoque fit, ne externum sonum accipiant. Leuissimum est, vbi id ex grauedine est. Peius, vbi ex morbis, capitisve longis doloribus incidit. Pessimum, vbi magnis morbis venientibus, maximeq; comitiali, prouenit. Si ex grauedine est, purgare aurem oportet, & spiritum continere, donec inde humor aliquis expumet. Si ex morbo vel capitis dolore, quod ad exercitationem, frictionem, perfusionem, gargarizationemq; pertinet, eadem facienda sunt. Cibis non vtendum nisi extenuantibus. In aurem dandus radiculae succus cum rosâ, vel cum succo radice ex cucumere agresti, vel castoreum ex aceto, & laureo oleo. Veratrum quoq; cum aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur, & inde collyrium factum in aurem demittitur. Si sine his cœpit, ideoq; nouo metu terret, in aurem dari debet castoreum cum aceto, vel irino, vel laureo oleo, aut huic mistum castoreum cum succo nucû amararum, aut myrrha & nitrum cum rosâ & aceto. Plus tamen in hoc quoque proficit victus ratio. Eademq; facienda sunt, quæ supra comprehendî, cum maiore

quoque diligentia: & præterea donec his sonus finitur, a vino abstinendum. Quod si simul & sonus & inflammatio est, laureum oleum coniecisse abunde est, aut id quod ex amaris nucibus exprimitur, quibus quidam vel castoreum, vel myrrham miscent.

Ad ea quæ in aurem inciderunt extrahenda.

Soler etiam interdum in aurem aliquid incidere ut calculus, aliquodve animal. Si pulex intus est, compellendum eo lanæ paulum est, quod ipse is subit, & simul extrahitur. Si non est securus, aliudve animal est, specillum lana inuolutum in resinâ quàm glutinosissimam, maximeq; terebinthinam demittendum, idq; in aurem iniiciendum, ibique vertendum est. Vtiq; enim comprehendet & eximet. Sin aliquid exanime est, specillo oriculario protrahendum est, aut hamulo recto paulum recurvato. Si ista nihil proficiunt, potest eodem modo resina protrahi. Sternutamenta quoque admota id commodè elidunt, aut oriculario clystere aqua vehementer intus compulsa. Tabula quoque collocatur media inhærens capitibus utrinque pendentibus, superq; eam homo deligatur in id latus versus, cuius auris eo modo laborat, sicut extra tabulam emineat. Tum malleo caput tabulæ, quod à pedibus est, feritur, atque ita concussa aure, id quod inest, excidit.

De Narium morbis, & curationibus. CAP. VIII.

NAres verò exulceratas fouere oportet vapore aquæ calidæ, id est spongia expressa atque admota. Fit & subiecto vase oris angusti, calida aqua repleto. Post id fomentum illinenda vlcera sunt, aut plumbi recremento, aut cerussa. Aut argenti spumam cum quolibet horum aliquis conterit,

eiq; dum teritur, inuicem vinum & oleum myrteum
adiicit, donec mellis crassitudinem fecerit. Sin autē
ea vlcera circa nares sunt, pluresq; crustas & odore
foedum habent, quod Genus Græcis *ῥινα* appellāt,
sciri quidem debet, vix ei malo posse succurri. Nihilominus tamen hæc tentari possunt, vt caput ad cutem
tondeatur, assidueque vehementer perfricetur,
multa calida aqua perfundatur, multa ei deambula-
tio sit, cibis modicus, neque acer, neque valentissi-
mus. Tum in narem ipsam mel cum exiguo modo re-
sinæ terebinthinæ coniiciatur, quod specillo quo-
que inuoluto lana fit, attrahaturque spiritu is suc-
cus, donec in ore gustus eius sentiatur. Sub his
enim crustæ resolvuntur, quæ tum per sternuta-
menta elidi debent. Puris vlceribus vapor aquæ
calidæ subiiciendus est. Deinde adhibendum aut
lycium ex vino dilutum, aut amurca, aut ompha-
cium, aut mentæ, aut marrubii succus, aut atramen-
tum sutorium, quod candens factum deinde contri-
tum sit: aut interior scillæ pars contrita, sic vt horum
cuiuslibet mel adijciatur. Cuius in cæteris admodū exi-
gua pars esse debet: in atramento sutorio tanta, vt ea
mistura liquida fiat, cum scilla vtique pars maior, in-
uoluendumque lana specillum est, & in eo medica-
mento intingendum, eoq; vlcera implenda sunt. Rur-
susq; linamentum inuolutum & oblongum eodem
medicamento illinendum, dimittendumq; in narem
est, & ab inferiore parte leniter deligandum. Idque
per hyemem, & ver, bis die: per æstatem, & autumnū,
ter die fieri debet. Interdum verò etiam in naribus
carunculæ quædam, similes muliebribus mammis na-
scuntur, hæq; in his partibus, quæ carnosissimæ sunt,
inhærent. Has curare oportet medicamentis aduren-
tibus sub quibus ex toto consumuntur. Polypus ve-
rò est caruncula, modò alba, modò subrubra, quæ na-
rium ossi inhæret, & modò ad labra pendens, narem

implet, modò retro per id foramen, quò spiritus à na-
ribus ad fauces descendit, adeo increfcit; vti post
viam conspici possit, strangulatq̃e hominem maxi-
me, austro aut euro flante, fereq̃; mollis est, raro du-
ra: eaq̃; magis spiritum impedit, & nares dilatat, quæ
fere *κερυιδες* est, itaque attingi non debet. Illud
aliud genus fere quidem ferro curatur, interdum ta-
men inarescit, si addita in narem per linamentum aut
penicillum ea compositio est, quæ habet minii sîno-
pici, chalcitidis, calcis, sandaracæ, singulorum p. l. *
atramenti futorii p. ii. *

De Dentium dolore, & curationibus. CAP. IX.

IN Dentium autem dolore, qui ipse quoque ma-
ximis tormentis annumerari potest, vinum ex to-
to circuncidendum est. Cibo quoque primo ab-
stinendum, deinde eo modico molliq̃; vtendum, ne
mandentis dentes irriter, tum extrinsecus admouen-
dus per spongiam vapor aquæ calidæ, imponédumq̃;
ceratum ex cyprino aut irino factum, lanaq̃; id com-
prehendendum, caputq̃; velandum est. Quòd si gra-
uioris dolor est, vtiliter & aluus ducitur, & calida ca-
taplasmata super maxillas injiciuntur, & ore humor
calidus cum medicamentis aliquibus continetur, sæ-
piusq̃; mutatur. Cuius rei causâ & quinque folij ra-
dix, in vino misto coquitur, & hyoscyami radix, vel
in posca, vel in vino misto coquitur, sic vt paulum
his salis adjiciatur, & papaveris non nimium: aridi
cortices, & mandragoræ radix, eodem modo. Sed in
his tribus ytique vitandum est, ne quod haustum erit
deuoretur. Ex populo quoque alba, cortex radicis
in hunc vsum in vino misto rectè coquitur, & in ace-
to cornu ceruinum rasum, & nepeta cum teda pin-
gui: ac ficus item pinguis vel in mulso, vel in aceto
& melle, ex quibus cum ficus decocta est, is humor

percolatur. Specillum quoque lana inuolutum in calidum oleum demittitur, eoq̃ue ipso dens fouetur. Quinetiam quædam quasi cataplasmata in dentem ipsum illinuntur: in quem vsus ex malo punico acido atque arido, malicorij pars interior cum pari portione, & gallæ & pinei corticis conteritur, misceturq̃ue his minium: eaq̃; contrita aqua pluuiatili coquuntur. Aut panacis, papaueris lacrymæ, peucedani, vuar taminix sine seminibus, pares portiones conteruntur. Aut galbani partes tres, papaueris lacrymæ pars quarta. Quicquid dentibus admotum est, nihilominus supra maxillam, ceratum, quale supra posui, esse debet lana obtectum. Quidam etiam myrrhæ, cardamomi, singulorum p. i. * croci, pyrethri, ficorum partes, singulorum p. iiii. * sinapis p. viii. * contrita linteo illinūt, imponuntq̃; in humero partis eius qua dens dolet. Si is superior est, à scapulis: si inferior, à pectore. Idq̃; dolorem leuat: & cum leauit, protinus submouendum est. Si verò exesus est dens, festinare ad eximendum eum, nisi res coegit, non est necesse. Sed cū omnibus fomētis, quæ supra posita sunt, adijciendæ quædam valentiores compositiones sunt, quæ dolorem leuant, quales hæc sunt. Habet aut papaueris lacrymæ p. i. * piperis p. ii. * psoreos p. x. * quæ cōtrita galbano excipiuntur: idq̃; circumdatur. Aut Menemachi maxime ad maxillares dentes, in qua sunt croci p. i. * cardamomi, thuris fuliginis, ficorum partes, pyretri, singulorum p. iiii. * sinapi p. viii. * Quidam autem immiscet pyretri, piperis, elaterij, singulorum p. i. * aluminis scissilis, papaueris lacrymæ, vuar taminix, sulphuris ignem non experti, bituminis, lauri baccarū, sinapis, singulorum p. ii. * Quod si dolor eximi eum cogit, & piperis semen cortice liberatum, & eodem modo bacca hederæ coniecta in id foramen, dentem findit, isq̃; forte stans excidet. Et plani piscis, quam pastinacam nostri, *τρύγωνα* Græ

ei vocant, aculeus torretur, deinde conteritur, resinaq; excipitur, quæ denti circumdata hunc soluit. Et alumen scissile in id foramen contactum demitti commodius est, quia sic dente seruat, dolorem leuat. Hæc à Medicis accepta sunt. Sed a gressitium experimento cognitum, cum dens dolet, herbam mentastrum cum suis radicibus velli debere, & in peluem conijci, supraq; aquam infundi, collocariq; iuxta sedentem hominem vndique veste contactum, tum in peluem candentes filices demitti, sic vt aqua tegantur, hominemq; eum hiantem ore vaporem excipere, vt supra dictum est, vndiq; inclusum. Nam & sudor plurimus sequitur, & per os cōtinens pituita defluit, idque sæpe longiorem, sæpe annuam valetudinem bonam præstat.

De Tonsillis, & eorum cura. CAP. X.

SI verò tonsillæ sine exulceratione per inflammationem intumuerunt, caput velandum est extrinsecus, is locus vapore calido fouendus, multa ambulatione vtendum, caput in lecto sublime habendum, gargarizandumq; est ex reprimentibus. Radix quoque ea, quam dulcem appellant, contusa & in passio, mulsove decocta idem præstat. Leniterq; quibusdam medicamentis eas illini non alienum est; quæ hoc modo sunt: Ex malo punico dulci succus exprimitur, & eius sextarius in leni igne coquitur, donec ei mellis crassitudo sit, tum croci, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum p. i. r. * per se conteruntur, paulatimq; his adiiciuntur vini lenis cyathi duo, mellis vnus, deinde priori succo ista miscentur, & rursus leniter incoquantur. At eiusdem succi sextarius eodem modo coquitur, atque eadem ratione trita ei adiiciuntur hæc: Nardi p. * omphacii p. i. * cinamomi, myrrhæ, casia, singulorum p. i. * Eadem autem

hæc & auribus, & naribus purulentis accommodata sunt. Cibus quoque in hac valetudine lenis esse debet, ne exasperet. Quod si tanta inflammatio est ut spiritum impediat, in lecto conquiescendum, à cibo abstinendum, neque adsumendum quicquam præter aquam calidam est. Alius quoque ducenda est. Gargarizandum ex fico & mulso. Illinendum mel, cum omphacio. Intrinsecus admouendus, sed aliquanto diutius, vapor aquæ calidæ, donec ea suppurent, & per se aperiantur. Si pure substante non rumpuntur hi tumores, incidendi sunt, deinde ex mulso calido gargarizandum ex fico. At si modicus quidem tumor & exulceratio est, furfurum cremori ad gargarizandum paulum mellis adijciendum est, illinendaque vlcera hoc medicamento. Passi quam dulcissimi tres heminæ ad vnam coquantur, tum adijcitur thuris p. i. * croci, myrrhæ, singulorum p. i. * leniterque omnia rursus feruescunt. Vbi plurima vlcera sunt, eodem furfurum cremore, vel lacte gargarizandum est. Atque hic quoque cibus lenibus opus est, quibus adijci dulce vinum potest.

De Oris vlceribus, & curationibus, & quæ
Antheræ sunt. CAP. XI.

VLcera autem oris, si cum inflammatione sunt, & parum pura ac rubicunda sunt, optime his medicamentis curantur, quæ supra posita ex malis punicis fiunt. Continendusque sæpe ore reprimens cremor cui paulum mellis sit adiectum. Utendum ambulationibus, & non acri cibo. Simulatque verò pura vlcera esse ceperunt, lenis humor, interdum etiam quam optima aqua ore continenda est. Prodestque assumptum purum vinum, pleniorque cibus, dum acribus vacet. Inspergique vlcera debent alumine scissili, cui dimidio plus gallæ immaturæ sit

COR. CELSI

adiectum. Si iam crustas habet, quales in adustis esse
 consuerunt, adhibendæ sunt hæ compositiones quas
 Græci ~~αἰμαρῆς~~ nominant. Iunci quadrati, myrrhæ, san-
 daracæ, singulorum p. iiii. * aluminis pares portio-
 nes. Aut croci, myrrhæ, singulorum p. ii. * iridis, alu-
 minis scissilis, sandaracæ, singulorum p. iiii. * iunci
 quadrati p. viii. * Aut gallæ, myrrhæ, singulorum p.
 ii. * aluminis scissilis p. ii. * rosæ foliorum p. iiii. *
 Quidam autem croci p. * aluminis scissilis, myrrhæ,
 singulorum p. i. * sandaracæ p. ii. * iunci quadrati p.
 iiii. * miscent. Priora arida insperguntur. Hoc cum
 melle illinitur, neque vlceribus tantum, sed etiam tō
 fillis. Verum ea longe periculosissima vlcera sunt,
 quas ~~αἰμαρῆς~~ Græci appellant, sed in pueris: hos enim
 sæpe consumunt, in viris & mulieribus idem pericu-
 lum non est. Hæc vlcera à gingiuis incipiunt, deinde
 palatum totumq; os occupant: tum ad vnam faucesq;
 descendunt. Quibus obsessis, non facile fit, vt puer
 conualescat. Ac miserius etiam est, si lactens adhuc
 infans est, quominus imperari remedium aliquod po-
 test. Sed in primis nutrix cogenda est, exerceriambu-
 lationibus, hisq; operibus, quæ superiores partes mo-
 uent. Mittenda in balneum, iubendaq; ibi calida aqua
 mammas perfundere, tum alenda cibis lenibus, & his
 qui facile non corrumpuntur. Portiones, si febricitat
 puer, aquæ: si sine febre est, vini diluti. Ac si aluus nu-
 trici substitit, ducenda est. Si pituita eius in hos coit
 vomere debet. Tum ipsa vlcera perungenda sunt mel-
 le, cui rhus quem syriacum vocant, aut amaræ nuces
 adiectæ sunt. Vel mistis inter se rosæ folijs aridis, pi-
 neis, nucleis, mentæ coliculo, melle. Vel eo medica-
 mento, quod ex moris fit, quorum succus eodē modo
 quo punici mali ad mellis crassitudinem coquitur,
 eademq; ratione ei crocum, myrrha, alumen, vinum,
 mel miscetur. Neque quicquam dandum, ad quod
 humor euocari possit. Si verò iam firmior puer est,
 gargari-

gargarizare debet his fere, quæ suprà comprehensa sunt. At si lenia medicamenta in eo parum proficiunt, adhibenda ea; quæ adurendo crustas vlceribus inducant. Quale est scissile alumen, vel chalcitis, vel atramentum sutorium. Prodest etiam fames, & abstinencia quanta maxime imperari potest. Cibus debet esse lenis. Ad purganda tamen vlcera interdum caseus ex melle recte datur.

De linguæ vlceribus. CAP. XII.

Linguæ quoque vlcera non alijs medicamentis egent, quàm quæ prima parte superioris capitis exposita sunt. Sed quæ in latere eius nascuntur, diutissimè durant. Videndumq; est, num contrarius aliquis acutior sit, qui sanescere sæpe vlcus eo loco non finit, ideoq; limandus est.

De parodontidibus gingiuarū tuberculis, deq;
alijs vlceribus gingiuarum.

CAP. XIII.

Solent etiam interdum iuxta dentes in gingiuis tubercula quædam oriri dolentia, *παροδοντιδα* Græci appellant. Hæc initio leniter sale contrito perfricare oportet, aut inter se mistis sale fossili, combusto cupresso, nepeta, deinde eluere os cremore lenticulæ, & inter hæc hiare, donec pituitæ satis profluat. In maiore verò inflammatione iisdem medicamentis vtendum est, quæ ad vlcera oris supraposita sunt: & mollis linamenti paulum inuoluendum aliqua compositione ex his, quas antheras vocari dixi, demittendumq; id inter dentem & gingiuam: quod si durior erit, & id prohibebit, extrinsecus admouendus erit spongiæ vapor calidus, imponendumq; ceratum. Si suppuratio se ostendet, diutius eo vapore vtē

COR. CELSI

dum erit, & continendum ore calidum mulsu, in quo ficus decocta sit. Itemq; subcrudum incidendū, ne si diutius ibi pus permanferit, os lædat. Quod si maior is tumor est, commodius totus exciditur, sic vt ex vtraque parte dens liberetur. Pure exempto, si leuis plaga est, satis est ore calidam aquam continere, & extrinsecus fouere eodem vapore. Si maior est, lenticulæ cremore: vt iisdem medicamentis, quibus cætera vlcera oris curantur. Alia quoque vlcera in gingiuis plerunq; oriuntur, quibus eadem quæ in reliquo ore succurrunt. Maxime tamen mandere ligultrum oportet, succumq; eum ore continere. Fit etiam interdum, vt ex gingiuarum vlcere, siue paradontides sint, siue non sint, diutius pus feratur. Quod aut dente corrupto, aut fracto, vel aliter vitiatu osse, maximeq; id per fistulam venire consuevit, vbi incidit, locus aperiendus, dens eximendus; testa ossis, si qua excelsit, recidenda est: si quid vitiosi est, radendum. Post quæ, quid fieri debeat, supra in aliorum vlcera curatione comprehensum est. Si verò à dentibus gingiue recedunt, eadem antheræ succurrunt. Vtile est etiam pyra, aut mala non permatura mandere, & ore eum humorem continere. Idemq; præstare non acre acetum in ore retentum potest.

De Vux morbo, & curatione. CAP. XIII.

Vux vehemens inflammatio terrere quoque debet. Itaque in hac abstinencia necessaria est, & sanguis recte mittitur: & si id aliqua res prohibet, alius vtiliter ducitur, caputq; super hæc velandum, & sublimius habendum est: tum aqua gargarizandum, in qua simul rubus & lenticula decocta sit. Illinenda autem ipsa vua vel omphacio, vel galla, vel alumine scisili, sic vt cuilibet eorum mel adiciatur. Est etiam medicamentum huic aptū,

quod Andronium appellatur. Constat ex his, alumine scisili, squama aris rubri, atramento sutorio, galla, myrrha, misy. Quæ per se contrita mistaq; rursus paulatim adiecto vino austero terruntur, donec his mellis crassitudo sit: vbi horum aliquo illita vna est, chelidoniæ quoque succo per coclear illita vna maxime prodest. Fere multa pituita decurrit, cumq; ea quieuit, ex vino calido gargarizandum. Quod si minor in ea inflammatio, laser terere, eiq; adicere frigidam aquam satis est, eamq; aquam cochleario exceptam ipsi vix subiicere: Ac mediocriter eam tumentem aqua quoque frigida, eodem modo subiecta reprimit. Ex eadem autem aqua gargarizandum quoque est, vel cum lasere, vel sine eo hac curatione vix subiecta est.

De Cancro oris.

CAP. XV.

SI quando autem vlcera oris cancer inuasit, primo considerandum est, num malus corporis habitus sit, eiq; occurrendum, deinde ipsa vlcera curanda. Quod si in summa parte id vitium est, satis proficit anthera humido vlceri arida inspersa: sicciori cum exigua parte mellis illita. Si paulo altius, chartæ combustæ partes duæ, auripigmenti pars vna. Si penitus malum descendit, chartæ combustæ partes tres, auripigmenti pars quarta. Aut pares portiones salis fricti, & iridis frictæ. Aut item pares portiones chalcitidis, calcis, auripigmenti. Necessarium autem est linamentum in rosa tingere, & super adurentia medicamenta imponere, ne vicinum & sanum locum lædant. Quidam etiam in acris aceti heminam frictum salem coniiciunt, donec tabescere desinat: deinde id acetum coquunt, donec exiccetur, eumq; salem contritum inspergunt. Quoties autem medicamentum iniicitur, & antè & post os diluendum est, vel

V ij

C O R. C E L S I

cremore lenticulæ, vel aqua in qua aut erium, aut oleæ, aut verbenæ decoctæ sint sic, vt cuilibet eorū paulum mellis misceatur. Acetum quoque excilla retentum ore, satis aduersus hæc vlcera proficit. Ex aceto cocto salī, sicut supra demonstratum est, rursus mistum acetum. Sed & diu continere vtrumlibet, & id bis aut ter die facere, prout vehemens malum est, necessariū est. Quod si puer est, cui id incidit, specillum lana inuolutum in medicamentum demittendū est, & super vlcustenendum, ne per imprudentiam adurentia deuoret. Et si dolor in gingiuis est, mouenturq; aliqui dentes, refici eos oportet: nam curationes vehementer impediunt. Si nihil medicamentum proficiunt, vlcera erunt adurenda. Quod tamen in labris ideo non est necessarium, quoniam excidere commodius est. Et id quidem æque adustum atque excisum, sine ea curatione, quæ corpori manu adhibetur, impleri non potest. Gingiuarum verò ossa, quæ hebetia sunt, in perpetuum vltione nudantur. Neque enim postea caro increscit. Imponenda tamē adustis lenticula est, donec sanitatem, qualis esse potest, recipiant.

De Parotidibus, quæ sub auribus oriuntur.

CAP.

XVI.

HÆc in capite fere medicamentis egent. Sub ipsis verò auribus oris παρoτιδς solent, modo in secunda valetudine ibi inflammatione orta, modo post longas febres, illuc impetu morbi conuerso. Id abscessus genus est. Itaque nullam nouam curationem desiderat. Animaduersionem tantummodo hanc habet necessariam, quia si sine morbo id intumuit, primum reprimentium experimentum est. Si ex aduersa valetudine, illud inimicum est, maturariq; & quàm primum aperiri commodius est.

De Umbilici prominentis curatione.

CAP. XVII.

AD Umbilicos verò prominentes, ne manu ferroq; vtendum sit, antè tentandum est, vt abstineant, alius his ducatur, imponatur super vmbilicum id, quod ex his constat: Cicutæ & fuliginis, singulorum p. i. * cerussæ elotæ p. i. i. i. * plumbi eloti p. v. i. i. i. * ovis duobus, quibus etiam solani succus adijcitur. Hoc dilutius impositum esse oportet, & interim conuiescere hominem, cibo modico vti, sic vt videntur omnia infantia.

De obscœnarum partium vitiis, & curationibus. CAP. XVIII.

Proxima sunt ea, quæ ad partes obscœnas pertinent, quarum apud Græcos vocabula & tollerabilius se habent, & accepta iam vsu sunt, cū omni ferè medicorum volumine atque sermone iactentur: apud nos fœdiora verba, ne consuetudine quidem aliqua verecundius loquentium commendata sunt: vt difficilis hæc explanatio sit, simul & pudorem, & artis præcepta seruantibus. Neque tamen ea res à scribendo deterrire me debuit. Primum, vt omnia quæ salutaria accepi, comprehenderem, dein quia in vulgus eorum curatio etiam præcipuè cognoscenda est, quæ inuitissimus quisque alteri ostendit.

De Colis morbis, & curationibus. *peris.*

Igitur si ex inflammatione Coles intumuit, reduciq; summa cutis, aut rursus induci non potest, multa calida aqua fouendus locus est. Vbi verò glans contacta est, oriculario quoque clystere inteream, cutemq; aqua calida inferenda est. Si mollita sic

COR. CELSI

& extenuata cutis, ducenti paruit, expeditior reliqua curatio est. Si tumor vicit, imponenda est vel lentacula, vel marrubium, vel oleæ folia ex vino cocta, sic vt cuilibet eorum, dum teritur, mellis paulum adijciatur. Sursumq; coles ad ventrem deligandus est. Quod in omni curatione eius necessarium est. Isq; homo continere se debet, & abstinere à cibo, & potione aquæ tantum à siti vindicari. Postero die rursus adhibendum iisdem rationibus aquæ fomentum est, & cum viquoque experiundum, an cutis sequatur. Ea q; si non parebit, leuiter summo scalpello concidenda erit. Nā cū sanies profluxerit, extenuabitur is locus, & facilius cutis ducetur. Siue aut hoc modo victa erit, siue nunquā repugnauerit, vlcera vel in cutis vltiore parte, vel in glāde vltrove eā in cole reperiētur: quæ necesse est, aut pura siccave sint, aut humida, & purulenta. Si sicca sunt, primū aqua calida fouenda sunt: deinde imponendum lycium ex vino est, aut amurca cocta cum eodem, aut cum rosa butyrum. Si levis ijs humor inest, vino eluenda sunt, tū butyri, & rosæ mollis paulum, & resinæ terebinthinæ pars quarta adijcienda est, eoq; vtendum. Aut si pus ex his profluit, ante omnia elui mulso calido debent. Tum imponi piperis p. i. * myrrhæ p. ii. * croci, misyos cocti, singulorum p. ii. * Quæ ex vino austero coquuntur, donec mellis crassitudinem habeant. Eadem autem compositio tonsillis, vix madentiori, nariumq; vlceribus accommodata est. Aliud ad eam piperis p. i. * myrrhæ p. i. * croci p. ii. * misyos cocti p. i. * æris combusti p. ii. * primum ex vino austero conteruntur, deinde vbi inaruerunt, iterum teruntur ex passi tribus cyathis, & incoquuntur, donec visci crassitudinem habeant. Aerugo quoque cum cocto melle, & ea quæ ad oris vlcera suprā comprehensa sunt, curant. Aut Erasistrati compositio, aut Crato-
mis recte super purulenta naturalia imponitur. Folis

quoque oleæ ex nouem cyathis vini coquuntur. His adijcitur aluminis scissilis p. iiii. * lycii p. viii. mellis sesquicyathus. Ac si plus puris est, id medicamentum ex melle: si minus, ex vino diluitur. Illud perpetuum est, post curationem dum inflammatio manet, quale suprapositum est, cataplasma supra dare, & quotidie vlcera eadem ratione curare. Quod si pus & multum, & cum malo odore cœpit profluere, elui cremore lenticulæ debet, sic, vt ei mellis paulum adijciatur: aut oleæ, aut lentisci folia, vel marrubium decoquendum est, eoq; humore eodem modo cum melle vtendum, imponendaq; eadem, aut etiam omphacium cum melle, aut id quod ex ærugine & melle, ad aures fit, aut compositio Andronis, aut anthera, sic, vt ei paulum mellis adijciatur. Quidam vlcera omnia, de quibus adhuc dictum est, lycio ex vino curant. Si verò vlcus latius atque altius serpit, eodem modo elui debet. Imponi verò, aut ærugo, aut omphacium cum melle, aut Andronis compositio, aut marrubij, myrrhæ, aut croci, aluminis scissilis cocti, rosæ foliorum aridorum, gallæ, singulorum p. i. * minij sinopici p. ii. * Quæ per se singula primum teruntur, deinde iuncta iterum melle adiecto, donec liquidi cerata crassitudinem habeant: tum in æneo vase leniter coquuntur, ne superfluant. Cum iam guttæ indurescunt vas ab igne remouetur, idq; medicamentum, prout opus est, aut ex melle, aut ex vino liquatur. Idem autem per se etiam ad fistulas vtile est. Solet etiam interdum ad nervos vlcus descendere, profluitq; pituita multa, sanies tenuis maliq; odoris, non cocta, aut aquæ similis, in qua caro recens lora est. Doloresque is locus & punctiones habet. Id genus quamuis inter purulenta est, tamen lenibus medicamentis curandum est, quale est emplastrum *τραπεζομαχον* ex rosâ liquatum, sicut thuris quoque paulum ei misceatur.

C O R. C E L S I

Aut id quod ex butyro, rosa, resina, melle fit, supra verò à me positum est. Præcipueq; id vlcus multa calida aqua fouendum est, velandumq; neque frigori commitendum. Interdum autem per ipsa vlcera, coles sub cute exesus, sic vt glans excidat. Sub quo casu cutis ipsa circuncidenda est. Perpetuumq; est, quoties glans, aut ex cole aliquid vel excidit, vel abscinditur, hanc non esse seruandam, ne confidat, vlceriq; agglutinetur, ac neque reduci possit postea, & fortasse fistulam quoque vrinæ includat. Tubercula etiam, quæ *φύματα* Græci vocant, circa glandem oriuntur, quæ vel medicamentis vel ferro aduruntur: & cum crustæ exciderunt, squama æris inspergitur, ne quid ibi rursus increseat.

De Cancris, qui in cole nascitur, curatione.

HÆc citra cancrum sunt, qui cum in reliquis partibus, tum in his quoque vel præcipue vlcera infestat. Incipit à nigritie, quæ si cutem occupauit, protinus specillum subiiciendum, eaq; incidenda est, deinde oræ vulsellaprehendenda: tum quicquid corruptum est, excidendum, sic vt ex integro quoque paulum demat, idq; adurendum. Quoties quid vstum est, id quoque sequitur, vt imponenda lenticula sit, deinde vbi crustæ exciderunt, vlcera sic, vt alia, curentur. At si cancer ipsum colem occupauit, inspergenda aliqua sunt ex adurentibus, maximeq; id quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur. Si medicamenta vincuntur, hic quoque scalpello quicquid corruptum est, sic vt aliquid etiam integri trahat, præcidi debet. Illud quoque æque perpetuum est, exciso cancro vulnus esse adurendum. Sed siue ex medicamentis, siue ex ferro crustæ occalluerunt, magnum periculum est, ne his decidentibus ex cole profusio sanguinis insequatur. Ergo longa

quiete & immobili penè corpore opus est, donec ex ipso crustæ puræ leniter resoluantur. At si vel volēs aliquis, vel imprudens, dum ingreditur, immaturæ crustas diduxit, & fluit sanguis, frigida aqua adhibenda est. Si hæc parum valet, decurrendum est ad medicamenta, quæ sanguinem supprimunt. Si ne hæc quidem succurrunt, aduri diligenter & timide debet, neque vlllo postea motu dandus eidem periculo locus est.

De Phagedænæ in cole nascentis curatione.

Nonnunquam etiam id genus ibi cancri, quod *φαιδαῖνα* à Græcis nominatur, oriri solet, in quo minime differendum, sed protinus iisdem medicamentis occurrendū est, & si parum valent, ferro adurendum. Quædam etiam nigrities est, quæ nō sentitur, & serpit, ac si sustinuius, vsque ad vesicam tendit, neque succurri postea potest. Sed in summa glande circa fistulam vrinx est, prius in ea tenuè specillum demittendum est, ne claudatur: deinde ferro adurendum. Si verò alte penetrauit, quicquid occupatum est præcidendum est. Cæterum eadem, quæ in alijs cancris, facienda sunt.

De Carbunculo, qui cole nascitur.

Occallescit etiam in cole interdum aliquid, idq; omni penè sensu caret, quod ipsum quoque excidi debet. Carbunculus autem ibi natus, vt primum apparet, oriculario clystere eluendus est. Deinde ipse quoque medicamentis vrendus, maximeq; chalcitide cum melle, aut ærugine cum cocto melle. Vbi is excidit, liquidis medicamentis vrendum est, quæ ad ora vlcera componuntur.

COR. CELSI

De Testiculorum morbis, & eorum curatione.

IN testiculis verò, si quæ inflammatio sine ictu orta est, sanguis ex talo mittendus est, à cibo abstinendū, imponendū ex faba farina ex mulso cocta, cum cumino contrito ex melle cocto. Aut contritum cuminum cum cerato ex rosa facto. Aut lini semen frictum, contritum, & in mulso coctum, aut tritici farina ex mulso cocta cum cupresso, aut lilij radix contrita. Aut si iidem induruerunt, imponi debet lini vel fœnigræci semen ex mulso coctum, aut ex cyprino ceratum: aut similia ex vino contrita, cui paulum croci sit adiectum. Si vetustior durities est, maxime proficit cucumeris agrestis radix ex mulso cocta, deinde contrita. Si ex ictu tument, sanguinem mitti necessarium est, magisq; si etiam liuent. Imponendum verò vtrumlibet ex his, quæ cum cumino componuntur, supraq; proposita sunt. Aut ea compositio quæ habet nitri cocti p. i. * resinæ pineæ, gummi, singulorum p. ii. * vuz taminix sine seminibus p. iiii. * mellis quantum satis sit ad ea cogenda. Quod si ex ictu testiculis aliquid desit, fere quoque increfcit, neque aliter succurri potest, quam si inciso scroto, & pus emissum, & ipse testiculus excisus est.

De Rhagadiis, & Condylomate, & Hæmorrhoidibus, aliisq; ani morbis, & curationibus eorum: & primo de Rhagadiis.

ANus quoque multa tædiiq; plena mala recipit, nec in se multum abhorrentes curationes habet. At primum in eo sæpe, & quidem pluribus locis, cutis exciditur, *ῥαγάδια* Græci vocant. Id si recēs est quiescere homo debet, & in aqua calida desidere. Columbina quoque oua coquenda sunt, & ubi induruerunt purganda: deinde alterum

iacere in aqua bene calida debet, altero calido foueri locus, sic ut inuicem utroq; aliquis utatur. Tum tetrastachyum, aut rhyssodes rosa diluendum est, aut hyssopum recens miscendum cum cerato liquido ex rosa facto. Aut eidem cerato liquido plumbum elotum adiciendum. Aut resina terebinthina myrrha, aut spuma argenti vetus oleum. Et quolibet ex his id perungendum. Si quicquid lacerum est, extra est; neq; intus recondilum, eodem medicamento tinctum linamentum superdandum est, & quicquid ante adhibuimus cerato contegendum. In hoc autem casu neque acris cibis utendum, neq; asperis, nec aluum comprimentibus: ne aridum quidem quicquam satis utile est, nisi admodum paulum. Liquida, lenia, pingua, glutinosa meliora sunt. Vino leni uti nihil prohibet.

De Condylomate.

Condyloma autem est tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet. Id ubi ortum est, quod ad quietem, cibos, potionesq; pertinet, eadem seruari debent, quae proxime scripta sunt. Iisdem etiam ovis recte tuberculum id fouetur. Sed desidere ante homo in aqua debet, in qua verberna decocta sunt ex reprimentibus. Tum recte imponitur & lenticula cum exigua mellis parte, & fertula campana ex vino cocta, & rubi folia contrita cum cerato ex rosa facto, & cum eodem cerato contritum vel cotoneum malum, vel malicorii ex vino cocti pars interior, & chalcitis cocta atq; contrita, deinde hyssopo ac rosa excepta. Et ex ea compositione, quae habet thuris p. i. *. aluminis scissilis. p. ii. *. cerussae p. iii. *. spumae argenti. p. v. *. Quibus dum teruntur, inuicem rosa & vinum instillatur. Vinculum autem ei loco linteolum, aut panniculus qua

COR. CELS I

dratus est, qui ad duo capita duas ansas, ab altera vero parte totidem fascias habet: cumq; subiectus est, ansis ad ventrem datis à posteriore parte in eas adductæ fasciæ coniiciuntur, atq; ubi artatæ sunt, dexteriori sinistra, sinisteriori dextra procedit, circundatæq; circa aluum inter se nouissime modo deligantur. Sed si vetus condyloma iam induruit, neque sub his curationibus desidit, aduri medicamento potest, quod ex his constat, æruginis. P. II. *. myrrhæ. P. IIII. *. gummi. P. VI II. *. thuris. P. XII. *. stibis, papaueris lacrymæ, acaciæ, sing. P. XVI. *. quo medicamentum quidam etiam vlcera, de quibus proxime dixi, renouant. Si hoc parum in condylomate proficit, adhiberi possunt etiam vehementius adurentia. Vbi consumptus est tumor, ad medicamentalenia transeundum est.

De Hæmorrhoidibus.

Tertium autem vitium est, ora venarum tanquam ex capitulis quibusdam surgentia, quæ sæpe sanguinem fundunt, & *ἡμorrhόις* Græci uocant. Idq; etiam in ore vuluæ fœminarum incidere consuevit. Atque in quibusdam parum tutò suppressitur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non sunt. Habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoq; curati quidam cum sanguinis exitum non haberent inclinata in præcordia ac viscera materia, subitis, & grauissimis morbis correpti sunt. Si cui verò id nocet, is desidere in aqua ex verbenis debet: imponere maxime malicorium cum aridis rosæ foliis contritum, aut ex his aliqua quæ sanguinem suppressunt. Solet autem oriri inflammatio, maxime ubi dura aluus eum locum læsit. Tum in aqua dulci desidendum est, & id fouendum ouis, imponendi vitelli cum rosæ foliis ex passio subactis: idq; si intrus est,

digito illinendum: si extra, super illitum panniculū imponendum est. Ea quoque medicamenta quæ recentibus scissuris posita sunt, hic idonea sunt. Cibus verò in hoc casu iisdem, quibus in prioribus, utendum est. Si ista parum iuuant, solent imposita medicamenta adurentia, ea capitula absumere. Ac si iam vetustiora sunt, sub autore Dionysio in spargenda sandaraca est, deinde imponendum, quod ex his constat: Squamæ æris, auripigmenti, sing. p. v. *. saxi calcis. p. viii. *. postero die acu compungendum. Adustis capitulis fit cicatrix, quæ sanguinem fundi prohibet. Sed quoties is suppressus est, ne quid periculi afferat multa exercitatione digerenda materia est. Prætereaq; & viris & fœminis, quibus menstrua non proueniunt interdum ex brachio sanguis mittendus est.

Si anus vel os vuluæ procidit, qua curatione utendum sit.

AT si anus ipse, vel os vuluæ procidit (nam id quoque interdum fit) considerari debet purum ne id sit, quod prouolutum est, an humore mucoso circumdatum. Si purum est, in aqua desidere homo debet, aut salsa, aut cum verbenis, vel malicorio incocta. Si humidum, vino austero subluendum est, illinendumq; fece uini combusta. Vbi utrolibet modo curatum est, intus reponendum est, imponendaq; plantago contrita, vel folia salicis in aceto cocta, tum linteolum, & super lana æque deliganda, cruribus inter se deuinctis.

De vlcere fungo simili, in ano.

FVngo quoq; simile vlcus in eadem sede nasci solet. Id si hyems est, egelida: si aliud tem-

COR. CELSI

pus, frigida aqua fouendum est: deinde spuma æris in-
spargenda, supraque ceratum ex myrteo factum, cui
paulum squamæ fuliginis, calcis sit adiectum: Si id hac
ratione non tollitur, vel medicamentis uehementio-
ribus, vel ferro adurendum est.

De digitorum ulceribus. CAP. XIX.

Digitorum autem vetera vlcera commodissi-
me curantur, aut lycio, aut myrrha cocta,
cum vtrilibet vinum adiectum est. In iisdem
recedere ab vngue caruncula cum magno dolore cõ-
suevit, *πτερυγιον* Græci appellant. Oportet alumen
melinum rotundum in aqua liquare, donec mellis cras-
situdinem habeat: tum quantum eius aridi fuit, tan-
tundem mellis infundere & radiculam miscere, do-
nec similis croco colore fiat, eoq; illinere. Quidam
ad eundem vsum decoquere simul maluam solent:
cum paria pondera aluminis aridi & mellis miscue-
rint. Si hac ratione ea non exciderunt, excidenda sunt:
deinde digiti fouendi aqua ex verbenis, imponen-
dumq; super medicamentum ita factum: Chalcitis,
malicorium, squama æris excipiuntur fico pingui le-
niter cocto ex melle. Aut chartæ combustæ, auripig-
menti, sulphuris ignem non experti par modus cera-
to miscetur ex myrteo facto. Aut æruginis rasæ. p.
i. *. squamæ. p. ii. *. mellis cyatho coguntur, aut pa-
res portiones miscentur, saxi calcis, chalcitidis, auri
pigmenti. Quicquid horum impositum est, tege-
ndum linteolo aqua madefacto est, tertio die digitus
resoluendus est. Si quid aridi est, iterum excidendum,
similisq; adhibenda curatio est. Si non vincitur, pur-
gandus scalpello, tenuibusq; ferramentis adurendus
est, & sicut reliqua vsta curandus est, At vbi scabri
vngues sunt, circum aperiri debent, quæ corpus con-
tingunt, tunc super eos ex hac compositione æque

imponi sandaracæ, sulphuris sing. p. ii. *. nitri, auripigmenti, singulorū. p. ii. *. resinæ liquidæ. p. viii. *. Tertioq; id die resoluendum est. Sub quo medicamento vitiosi vngues cadunt, & in eorum locum meliores renascuntur.

LIBER SEPTIMVS

De chirurgica, & qui in ea claruerint, & qualis esse Chirurgus debeat, & quid in hoc libro describatur.



ERTIAM esse medicinæ partem, quæ manu curet, & vulgo notū, & à me propositum est. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit, sed manu tamen plurimum præstat, estque eius effectus inter omnes medicinæ partes euentissimus. Si-

quidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademq; sæpe salutaria, sæpe vana sint, potest dubitari secunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit. In his quoque, in quibus medicamentis maxime nitimur, quamuis profectus euentior est, tamen sanitatem & per hæc frustra quæri, & sine his reddi sæpe manifestum est. Sicut in oculis quoque deprehendi potest, qui à medicis diu vexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quæ manu curat, euident est, omnem profectum, vt aliquid ab alijs adiuuetur, hinc tamen plurimum trahere. Hæc autem pars cum sit vetustissima, magis tamen ab illo parente omnis medicina Hippocrate, quam à prioribus exulta est. Deinde posteaquam diducta ab alijs